DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PERTUSSI.

W. ROLFE AUCTORE.

Hic morbus, qui a plerisque auctoribus, ante tempus Culleni, " Tussis Convulsiva" vocata est, proprium suum nomen accepit ex vehementia tussis, qua potissimum a cæteris omnibus morbis discernitur. Idem collocatur in classe " Neuroses" ordineque " Spasmi," et sequentibus verbis definitur: " Morbus contagiosus; tussis convulsiva, strangulans, cum inspiratione sonora, iterata; sæpe vomitus."



HISTORIA MORBI.

Hic morbus nulli regioni temporive anni proprius est, si modo causa ejus excitans admota fuerit, etsi magis urgere videtur in frigidis quam æstuosis locis, atque adeo magis hieme quam æstate. Manifeste ex Contagio oritur, sæpissimeque publice grassatur; et, velut omnes morbi qui ex contagio proficiscuntur, semelque solum per ætatem hominis occurrunt, pueros maxima ex parte vexat.

Incipit vero hic morbus fere ex febricula signisque vulgaribus Catarrhi. Sitis est, pulsus excitatur, calorque corporis augetur; tamen neque tam vehemens nec diuturna hæc febris esse solet, ut recte inter morbos febriles enumeretur. Hæc signa brevi subsequitur Tussis, quæ, primum mediocris, post tempus aliquod vehementior fit, propriamque suam formam induit. Hæc vero redit per accessiones, quæ modo per se, et

sine ulla evidenti causa, modo irritamento aliquo excitantur. Puer subito corripitur tussi vehementi iterataque, quæ pluribus brevibus expirationibus efficitur, quas subsequitur alta sonoraque inspiratio, hæque inter se sæpius alternantur. Sub his autem facies tumida rubraque et interdum pene purpurea fit, oculique suffusi sunt et protrusi, tantaque aliquando vehementia tussis est, ut puer pedibus consistere per se nequeat, confugiatque ad adstantes ut caput manibus contineant. Tussiendi autem accessiones singulæ sputo finiri solent; quod primum parcum et tenue, postea viscidum magis et copiosum fit; interdumque tanta est ejus visciditas et copia, ut non sine summa difficultate excreetur. Hic solitus est terminus accessionum; interdum vero sternutamento, sæpeque vomitu, istæ resolvuntur, qui vomitus gravi diuturnaque epiglottidis partiumque vicinarum irritatione, vehementique agitatione totius corporis moveri videtur. At sonus proprius qui hanc tussim semper comitatur videtur proficisci ex magna depletione pulmonis, quam diuturni-

tas tussis efficit, unde subitus modus aëris, qui cum summo impetu, fortasseque per angustiora itinera, in pulmonem sub inspiratione irruit, sonum non movere non potest. Tussis autem, ubi aliquamdiu perstiterit, sic decedit, puerumque integrum relinquit; idque ita, ut interdum protinus redeat ad ludos, aut ad quicquid, instante accessione, egerat; interdum vero eundem imbecillum et quasi fatigatum dimittit, sæpeque ingens desiderium cibi est, isque, si porrigitur, avide devoratur.

Morbus ubi hoc modo per aliquot hebdomadas, vel etiam menses, duravit, sponte fere et gradatim decedit. Tussiendi accessiones rariores mitioresque fiunt; febris decedit; difficultasque spirandi, siqua fuit, imminuitur; et puer redit ad pristinam valetudinem. Non raro tamen morbus ad anni spatium porrigitur, vel etiam diutius; nimisque sæpe puerum tollit, si non ipsa accessione per strangulationem, quam facit vehementia tussis, (id quod rarius accidit quam putaremus) at certe gravitate febris, lon-

gave spirandi difficultate, qua puer tandem strangulatur, vel denique ipsa infirmitate, quam tam gravis tamque longus morbus afferre solet.

Atque hæc quidem forma morbi est, uti sæpissime se ostendit. Plurimum vero variant signa ejus, pro ætate pueri, corporis constitutione habituque, et aliis malis, quæ hunc morbum aut præcesserint, aut cum eo conjungantur. Interdum enim ubi ætas non admodum tenera est, corporisque natura neque infirma nimis neque plena, et puer natus est ex validis parentibus, quos neque Phthisis neque Asthma unquam exercuit, tam lenis est hic morbus, ut vix a vulgari Catarrho discerni possit; quinetiam sunt qui eum tam leviter passi sint, ut neque ipsi meminerint, nec parentes, an omnino habuerint necne. In his levis admodum, si ulla, febris est; difficultasque spirandi vix aut ne vix quidem percipitur; et proprius sonus tussis, quo potissimum morbus dignoscitur, pene ex toto desideratur: hic enim, ut dixi, ex subito impetu aëris in pulmonem, iterata tussi quam maxime depletum, præcipue pendet; hæc igitur quo

lenior est, eo minus manifestus sonus quoque erit. Plane autem aliter morbus se habet in infantibus, (hi enim potissimum hoc malo moriuntur) vel in pueris aut robustis plenisque, aut e contrario nimis imbecillis ; siquidem in prioribus, omnia febrilia signa maxime urgent, et cum iis simul difficultas spirandi ; in posterioribus, non tantæ vires supersunt ut sputum commode excreetur, vel ut longus morbus sustineatur. Denique morbus solet gravior esse in iis quibus hæreditaria proclivitas inest ad Asthma aut ad Phthisin ; et si per se non interimit, solet originem præbere istis vitiis, quæ vitam postea infelicem reddunt, citiusque aut tardius eandem terminant.

Quæ sit autem natura primariaque sedes hujus morbi multum diuque quæsitum est. Uti dixi, a Culleno collocatur inter " Spasmos," ideo quia opinio fuit tunicam musculosam bronchorum sub hoc morbo spasmo affici ; qui spasmus, quum clonicus esset, id est quum cum relaxationibus alternaretur, putabatur movere

tussim, quæ præcipua pars morbi est. Si vero proxima causa morbi spasmus est, videtur verisimile esse hunc excitari ex copia acris viscidique muci, qui in bronchos effunditur, quique videtur esse prima pars effectus Contagii. Neque enim facile est dictu quemadmodum morbus, plane et simpliciter spasmodicus, ex contagio oriri possit. Novimus quidem hujusmodi mala ex imitatione, affectibusque animi, et iis similibus, satis sæpe proficisci; iidemque non raro ipsa consuetudine continuantur. Atque hoc quidem videtur accidere in Pertussi; quæ plerumque diu protrahitur postquam effectus contagii desierunt: hoc vero videtur excitare morbum, solum in acuta et contagiosa conditione ejus; effectusque per certum et definitum tempus solum extenduntur. Itaque initio est fortasse aliquid, quod, etsi spasmum movere potest, tamen a spasmo diversum et discretum est; siquidem spasmus diu continuatur postquam hoc finitum est.

Atque hæc quidem vulgaris opinio morbi est;

qui ideo divisus est in duo tempora, quorum prius "Specificum," sive "Acutum," sive "Contagiosum," (siquidem in hoc solo tempore morbus contagiosus esse putatur) vocatum est; posterius "Longum," sive "Consuetum:" et ex his utrumque per certum spatium urgere solet, remediaque admodum diversa postulat.

Apud plerosque quidem constat pulmonem reliquaque organa spirandi, quomodocunque afficiuntur, primariam sedem morbi esse. Quidam vero, qui solent omnia ad jecur referre, dixerunt id primum in Pertussi affici; nuperque Doctor Webster protulit opinionem, qua cerebrum primam sedem morbi esse dicitur. Inquit enim, hoc, ex actione contagii, primum insolita copia sanguinis onerari; actionemque inordinatam pulmonis excitari, quo sanguis ex cerebro avertatur, atque ita id ab onere suo liberetur. Parum tamen facile est explicatu, quapropter pulmo demum, ad depellendum vitium a cerebro, excitari debeat; neque quomodo talis excitatio hoc præstare possit. Manifestum enim

est, pulmonem, si tussi multum expanditur, ut ille ait, ita non plus sanguinis in se, ut etiam minus solito, propter vasorum compressionem, accipere posse. Sed hæc prætermitto, ut ad aliam partem dissertationis meæ perveniam.

DE MODO DISCERNENDI HUNC MORBUM AB ALIIS, ET DE PRÆSAGIO.

PRÆCIPUI morbi cum quibus Pertussis confundi potest sunt Vulgaris Catarrhus et Cynanche Trachealis. A priore autem satis facile discernitur, si modo uterque morbus propriis suis signis manifestetur, neque inter se (id quod interdum accidit) conjungantur. Quod si ita res se habet, discrimen facere supervacuum est; sin minus, Pertussim esse suspicamur si puer idoneæ ætatis, qui nondum morbum habuit, incipit affici febricula, siti, difficultateque spirandi et tussi; idque magis, si solitis causis Catarrhi non objectus fuerit; et maxime, si Per-

tussis aut in vicinia epidemica est, aut puer casu singulari exemplo ejus patuerit. Manifestior autem brevi fit natura morbi proprio sono tussis, vel potius longæ inspirationis, quæ singulas accessiones tussiendi subsequitur. Quod si hic sonus desideratur, ut non raro evenit, summa difficultate morbi discernuntur; atque ita non pauci, ut dixi, hanc pestem habuerunt, qui neque qualis esset intellexerunt, neque quando habuerint, omnino meminerunt. Solet autem Pertussis longe diutius hominem vexare quam Catarrhus; atque hoc ipsum, si cætera desunt, potest prioris naturam indicare.

Superest ut proferam notas per quas Pertussin a Cynanche Tracheali dignoscere possumus; neque quidem hoc facere magni negotii est. Hic enim morbus acutus et brevis est, subitoque sine ulla manifesta causa accedit; ille autem morbus diuturnus est, semperque, vel certe longe sæpissime, contagium sequitur. In Cynanche Tracheali febris vehementer urget; in Pertussi aut levis esse solet, aut omnino desidera-

tur: ad hæc, spirandi difficultas in priore longe major est, assidueque urget; in posteriore minor, reditque per accessiones. Plurimum quoque interest in ratione tussis; quæ in Pertussi iterata quidem est, sed sine proprio sono, nisi per inspirationem; in Cynanche Tracheali autem, tussis ipsa sonora et clangens est, voxque loquentis rauca fit, quasi transmitteretur per tubam æneam. His si adjicimus dolorem, sensumque strangulationis in gutture, qui efficit ut puer reflectat caput, manusque ad guttur admoveat ne protinus stranguletur, non requiremus signa unde Cynanchen Trachealem a Pertussi facile distinguamus: neque quidem alii morbi sunt, quibus falli omnino possumus.

Festino nunc ad Præsagium; quod quidem, maxima ex parte, colligi ex præcedente Historia potest. Infantes, ut dixi, maxime perimit; ideoque quo tenerior ætas est qua morbus accedit, eo fere majus periculum est; atque ita ex iis qui a Pertussi pereunt, longe plures ante secundum ætatis annum, quam post rapiuntur.

Ad hæc, imbecillos, eosque quorum vires præcedentibus morbis fractæ jam sunt, maxime opprimit; etsi nimia plenitudo corporis vix minus inimica est. Malum quoque est, si, cum Pertussi simul, est aut Rubeola aut Catarrhus; alter enim alterius vires non vehementer adaugere non potest. Præterea, morbus longe periculosior est iis qui nati sunt ex parentibus phthisicis aut asthmaticis, quive ipsi obnoxii sunt propriis malis pulmonis. In istis, si non protinus finitur aut per strangulationem aut per apoplexiam, non raro aut hæreditarios morbos movet, aut mala glandularum mesentericarum; interdum Icterum quoque concitare videtur, fortasse ex diuturna gravique tussi, qua jecur deprimitur, ductusque biliferi impediuntur. Quod ad cætera, periculum semper esse videtur pro ratione febris difficultatisque spirandi: hæc si vehemens est, facies purpurascit, neque raro puer per convulsiones subito rapitur. Si vero spiritus non admodum gravis, febris lenis est; si tussiendi accessiones neque crebræ sunt, neque vehementes, sputumque, neque nimis copio-

sum nec parcum, ex facili excreatur; si per intervalla puer bene se habet, commodeque et sumit cibum et dormit, licet scire morbum lenem esse, foreque ut cito puer ad sanitatem redeat. Dicitur quoque vomitus post tussiendi accessiones bonum signum esse; itidemque profluvia sanguinis, ut e naribus. Hoc vero, etsi interdum adjuvat, tamen sæpe gravem morbum ostendit, et, ubi copiosum nimis est, interdum vehementer nocet.

DE CAUSIS PERTUSSIS, ET DE VESTIGIIS EJUS IN CADAVERE.

Causæ Pertussis, velut reliquorum omnium morborum, solent dividi in eas quæ corpora obnoxia ei faciunt, in excitantes, et in proximam. Quod ad primum vero caput causarum pertinet, videtur quidem inesse infantibus proclivitas quædam ad hunc morbum, quæ proclivitas, uti ætas procedit, multum imminuitur; etsi fortasse

alia causa est cur pueri præcipue hac peste vexentur. Sequitur enim, cum morbus ex contagio manifeste oriatur, semelque tantum aliquem per ætatem infestet, ubi primum contagium venit, ut homo habeat morbum; et quotiescunque postea idem accedit, tutus ab illo sit: si igitur quotannis homo contagio objectus est, primo anno ætatis suæ morbo afficietur. Fortasse tamen ubi res plane pares sunt in infante et in adulto homine, id est, si neuter jam morbum habuit, infans magis opportunus erit contagii effectibus quam adultus homo; etsi plura exempla narrantur Pertussis in media, atque etiam in ultima ætate, ubi vix verisimile esse videtur tum demum contagium primum accidisse. Quod si infans semel atque iterum fortasse ex hoc evadit, tamen constat inter omnes infantiam morbo magis patere quam reliquas ætates, atque hanc igitur præcipuam causam prædisponentem morbi esse.

Excitantes autem causæ duplices esse possunt, prout morbum ipsum, vel solum accessionem

tussiendi, movent. Ex prioribus præcipua, atque fortasse sola, causa proprium Contagium est, quod fortasse per spiritum primum accipitur, aliisque invicem transmittitur. Cujusmodi sit materia hujus Contagii plane nescimus; atque adeo utrum morbus, sine hoc, excitari omnino possit. Aliqui putaverunt quidem certam quandam conditionem aëris, per se, et citra contagium, hunc morbum facere posse; sed exempla hujus spontaneæ Pertussis pauciora sunt quam ut iis multum confidamus. Si semel autem morbus factus est, accessiones tussiendi sæpe accidunt, modo, ut dixi, sponte, modo ex variis causis; ex quibus præcipuæ sunt vehemens exercitatio corporis, ut cursus, ventriculi distentio per cibos, ejusdemque irritatio ex cibis difficilibus concoctu. His accedit pulvis, fumusve, aut tale aliquod in pulmonem acceptum; atque ita omnes validi odores. Præterea, ira cæterive vehementiores affectus animi, vel vagitus, idem efficere possunt; et, denique, quicquid aut corpus aut mentem multum perturbat.

De causa autem proxima jam pauca dixi, ubi de natura morbi sermo fuit; et fortasse plura hic proferre de tam obscura re non est opus. Actio contagii esse videtur movere magnam copiam viscidæ pituitæ, cujus irritatio fortasse spasmum excitat; atque ita, post mortem ex hoc morbo, solemus reperire tunicam mucosam bronchorum inflammatam, crassaque pituita impletam. Dicuntur quoque cellulæ aëris interdum, ex vehementia tussis, rumpi; nuperque dictum est chordas vocales sub hoc morbo sæpe crassiores reddi, spatiumque glottidis ideo coarctari; unde sonus proprius inter tussiendum aliqua ex parte explicari potest. Non raro in iis qui mortui sunt ex Pertussi, insolita copia aquæ in pericardio reperitur.

DE PERTUSSIS CURATIONE.

Hic morbus, ubi levis est atque simplex, id est ubi cum nullo alio conjungitur, medici auxilia vix postulare videtur; et quidem ubi semel incepit, velut plerique morbi orsi ex contagio, certum circuitum fortasse semper percurrit, neque remediis ullis sisti potest. Nullum enim antidotum novimus contagii unde morbus proficiscitur; quinetiam contagium ipsum, quale sit, ignoramus: superest igitur solum ut, quem morbum neque arcere neque sistere possumus, eum, si opus est, leniorem reddamus, feliciterque ad finem, si fieri potest, perducamus. Ad hoc igitur, in primo tempore morbi, consilium medici est urgentia signa, sive ex Catarrho, sive ex Spasmo, lenire; in secundo autem, consuetudinem frangere, corpusque quam maxime corroborare.

Itaque initio, si corpus plenum est, morbique tanta vehementia est ut exigat, Sanguis mitti debet, non modo ex brachio, verum etiam ex pectore, per cucurbitulas aut hirudines, plures paucioresve pro pueri ætate. Idem Doctor WEBSTER, de quo supra dixi, ex opinione quam habet de prima sede morbi, laudat missionem sanguinis a capite, putatque morbum posse, hoc remedio eique similibus, sisti: et fortasse ex quacunque parte corporis sanguis mittitur, si modo plenitudo corporis postulat, prodest. Præter sanguinis missionem, emplastra Vesicatoria commode pectori admoventur; eaque, ut dicitur, magis adjuvant, si ex tartrate antimonii, potius quam ex meloë vesicatorio, fiunt; siquidem prioris actio, non modo celerior, sed etiam profundior esse videtur, idemque pro simplici vesicula plures pustulas movet. Sequuntur Vomitoria remedia, quæ, in hoc morbo, pluribus nominibus prosunt. Per hæc enim non solum cruditates ventriculi, quæ tam sæpe gravem tussim movent, ejiciuntur, sed etiam fluxus humores ad cutem fit; quo po-

tissimum pulmo liberatur, et excreatio sputi, propter consensionem inter pulmonem atque ventriculum, facilior redditur. Non facile quidem est explicatu qualis sit hæc consensio; et fortasse simplex agitatio corporis, quæ sub vomitu accidit, tantum confert ad faciliorem excreationem quantum consensio partium. Quomodo vero valeant sudores, ad pulmonem liberandum, satis manifestum est; pulmo enim et summa cutis funguntur quasi communi officio; ab utroque halitus emittitur, quoque plus ab una parte fertur, eo minus ab altera: minor igitur fluxus sanguinis eo procedit, omniaque incommoda, quæ inde profluunt, imminuuntur. Pari nomine valent medicamenta proprie Diaphoretica, ut vocantur, et Expectorantia; medicamentaque ad alvum laxam tenendam, ut in omnibus morbis febrilibus idonea sunt, ita in hoc quoque plurimum adjuvant. Denique, medici est, in hoc tempore morbi, uti omnibus remediis quibus febris depellitur, difficultasque spirandi lenitur; atque ita cæteris signis consulere, ut meminerit ex his summum periculum esse.

In altero tempore morbi conandum est omnibus modis consuetudinem frangere, spasmodicamque actionem discutere; quæ per se continuari tunc videtur, ubi jam febris primaque actio contagii terminatæ sunt. Ad hoc igitur omnium optimum remedium est Mutatio aëris; quæ demum maxime prodest, si cum pari mutatione omnium consuetudinum conjungitur. Itaque puer debet surgere e lecto, cibum capere, exercitatione uti, omnibusque aliis functionibus corporis fungi, aliis horis atque antea solitus est: quinetiam mutatio a puro aëre ad minus purum magis prodesse videtur quam in eodem persistere. Quod ad remedia pertinet, optima sunt quæ ex Opio comparantur, cæteraque Antispasmodica et Corroborantia. Ex prioribus optima esse videntur Digitalis, Conium, Hyoscyamus, Castoreum, Moschus, iisque similia; ad hæc, Belladonnæ radix nuper laudata est, quæ ad quadrantem grani cum saccharo subinde commode datur. Insuper Acidum Hydrocyanicum, uti in plerisque malis pectoris, ita in Pertussi datum vehe-

menter prodesse dicitur. Ex roborantibus medicamentis autem optima sunt Cinchona reliquique cortices, eaque medicamenta quæ ex Zinco Ferroque fiunt : quæ vero hæc sint, quomodoque dentur, omnibus magis notum esse arbitror, quam ut talia hic curiosius proponam. Præter medicamenta, autem, opus est corporis exercitatione crebra sed modica; frictionesque pectoris et spinæ cum medicamentis excitantibus et anodynis non mediocrem opem afferre putantur. Frigidis lavationibus sæpe uti quoque, alia corroborantia remedia multum adjuvat.

Præter hæc, plurima Circumforanea medicamenta, embrocationesque, ut vocantur, in hoc morbo plurimum laudata sunt; sed cum hæc qualia sint, aut quomodo operentur, non bene intelligamus, supervacuum esse videtur nominatim proferre.

FINIS.